

Kreis  
Büren.  
S, 48

1238.

[1]  
Die Äbtissin Jutta von Böddeken genehmigt den Verkauf des Gehuts zu  
Aldenbodiken.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Jutta Dei gratia Budicensis ecclesie abbatissa omnibus, ad quos presens pagina pervenerit, perpetuam in Domino salutem. Quociescunq; aliqua memorie digna in nostri presencia ordinantur vel constituunt, dignum iudicamus, ut per aliquod monumentum posteris nostris nostre acciones innotescant, ut ratum sit, quod agimus et ipsi nostras institutiones non transgrediantur. Notum sit ergo cunctis Christi fidelibus tam posteris quam presentibus, quod dominus Gerhardus de Aldenbodiken post mortem filii sui Heinrici metuens perditionem decime sue in Aldenbodiken, quam diu possederat, accessit ad dominum suum Conradum de Etlen et consilio amicorum suorum ipsi decem marcas se daturum promisit, ut coram nobis uxori sue Alheidi et tribus filiabus suis eandem decimam porrigeret. Tali vero facta convencione utraque pars coram nobis comparuerunt et predictus C(onradus) et suus filius Albero coram pluribus ecclesie nostre ministerialibus et aliis honestis viris, quorum nomina subsequuntur, domine Alheidi et tribus filiabus suis decimam in Aldenbodiken in iure feodali possidentiam voluntarie porrexerunt. Hiis igitur sic peractis Gerhardus miles domino suo C(onrado) de Etlen iam dictam pecuniam coram nobis persolvit. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, presentem paginam impressione sigilli ecclesie nostre et nostro fecimus roborari. Acta sunt hec anno incarnationis Dominice M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXX<sup>o</sup>VIII<sup>o</sup>. Testes huius rei sunt Elisabeth preposita, Alheidis decana et custos, Walderada cellararia; sacerdotes Albodo, Thiodericus, Heinricus, Conradus; Agneza abbatissa de Jeseke. Laici: Heinricus, Rotgerus, Lutfridus, Bruno, Rotgerus de Buren, Conradus, Bertoldus, Andreas de Vesperdhe, iudex in Buren, Horadus de Brenken, Meinfridus, Heinricus de Nova domo, Heinricus iudex in Budeken et alii quam plures.

Orig. Vom 2. Siegel kleiner Reit. Rep. I D<sup>o</sup> Nr. 1.